

Band VIII., Nr. 3116, Seite 327-328

*Arnold Nellinger von Fellbach vermacht dem Kloster Weil und dem
Dominikanerprior von Esslingen eine Reihe von Gütern.*

Esslingen, 1282. Januar 21.

Quoniam ut ea, que divine pietatis fiunt intuitu rationabiliter et aguntur, rata permaneant et inviolabiliter observentur, necesse est, ut deveniant ad notitiam tam presentium quam futurorum, noverint igitur presentes nec lateat futuros, quod ego Arnoldus dictus Nellinger de Velbach civis in Ezzelingen ob salutem et remedium anime mee ac predecessorum meorum reverendis in Christo . . . priorisse et conventui sororum in Wilario possessiones meas et bona subscripta libere et voluntarie cum omni iure et libertate, prout possedi et habui, resignavi viva voce morum et gestuum adhibita et¹ consueta. Transacto vero spatio duorum mensium possessiones et bona eadem nomine census annui singulis annis in festo Martini videlicet quatuor a solidorum Hallensium dicto conventui presentandorum a . . . priorissa et conventu prehabitis recepi, hac etiam condicione adhibita, quod ipsis possessionibus uti pacifice debeo quamdiu vivo, post mortem vero meam ad iamdictum conventum perpetuo devolvi debent. Sunt autem subscripta bona: tria iugera vinearum sita in Velbach in monte anteriori, item duo iugera vinearum in monte qui dicitur zu den Huntlochern. Preterea attendendum est, quod vineas et possessiones subscriptas post mortem meam et Adelheidis relicte quondam . . . fratris mei tantummodo nostrarum duarum personarum conventui predicto similiter cedere debent duo iugera vinearum sita apud Oberndurnchein, quas colit . . . dictus Bambast, item due domus, unum horreum et unum pomerium cum habitatione in Velbach sita eorundem, de quibus etiam domibus infirmis leprosororum in Obernezzelingen decem solidos Hallensium presentabunt singulis annis et ad lumen ecclesie parochialis Ezzelingen in festo Martini XXVI denarios similiter presentabunt. Attendendum est insuper, quod possessiones et bona subscripta tantummodo post mortem meam ac prefate Adelheidis . . . priori domus in Ezzelingen ordinis Predicatorum ac . . . priorisse et conventui in Wilario similiter voluntarie erogavi: duas vineas sitas in monte dicto Goltberc, quarum unam colit Henricus dictus Bendel, et aliam personaliter colo, item unam vineam sitam in monte dicto Wezstein, quam pro Wernhero dicto Maielan emi et quam personaliter colo, item feodum duarum vinearum continentis circa duo iugera et dimidium in monte Diepach sita, quarum

¹Das *et* gehört wohl vor *morum*; dafür fehlt etwa *solemnitate*.

II

vinearum de una sextam partem dabo et de alia quartam partem, item unum iuger feodi cuius proprietas pertinet ad dominos de Backenang situm in monte Immenroden anteriori, de qua vinea solvitur quarta pars, item feodum unius iugeris, de quo dominis de Bebenhusen medietatem dare debeo, item cubiculum situm in cimitherio Velbach, de quo unam libram cere ad capellam ibidem singulis annis cedere debet, item tres agros propios, quos pro . . . relictis Wiprehti de Hegenach comparavi. Insuper sciendum est, quod cum ego et Bertoldus dictus Kiver civis in Ezzelingen octo iugera vinearum sita in monte Diepach simul et pariter habeamus, inter nos ordinavimus et constituimus, quod, si ego prius migravero a presenti seculo quam ipse, XXXI unam libram Hallensium Adelheidi prefate presentare debet, quam pecuniam cum consensu . . . prioris et . . . priorisse antedictorum in predium aliquod convertere debet, quo prenotata Adelheidis uti debet, quamdiu vivit, ipsa autem defuncta . . . prioris et priorisse iamdictorum idem predium usibus applicetur. Vice versa si prefatus Ber[toldus] decesserit prius quam ego, XXXI unam libram Hallensium suis heredibus debeo presentare et predictis vineis uti debeo una cum prefata Adeilheide, quamdiu vivimus, nobis vero duobus mortuis eedem vinee ad usus . . . prioris et priorisse prefatorum libere applicentur. Attendendum est insuper, quod cum omnibus bonis meis mobilibus facere et ordinare debeo sine impedimento et vexatione cuiuslibet omnia que michi videntur expedire. Posito etiam, quod post mortem meam relinquam aliqua debita insoluta, . . . prior et priorissa antedicti de bonis meis sibi relictis debitoribus satisfacere debent. Huius rei testes et satzeluten sunt: S[ifridus] scultetus, Ludewicus Ower, R[udolfus] Hasenzagel, H[einricus] de Gruningen², H[einricus] Holtzuser, Hugo Nallinger, H[einricus] Steinbis, Cûnradus Kurzo, Johannes frater suus, Johannes Kilso, Ūlricus frater suus, Ruppertus et Cûnradus fratres dicti Rupperth, Fr[idericus] de Hallis iudices et cives in Ezzelingen. In cuius rei testimonium presentes littere sigillo civium in Ezzelingen sunt roborate.

 Datum et actum in Ezzelingen, anno domini MCCLXXXII., in die Agnetis virginis et martiris.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Beschädigtes Siegel, s. WUB, Bd. V, S. 189.

²Markgröningen oder Neckargröningen.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 539 U 5

Regesten:

ADOLF DIEHL (BEARB.): Urkundenbuch der Stadt Esslingen, 2 Bde., Stuttgart 1899-1905 (Württembergische Geschichtsquellen 4 bzw. 7), Bd. 1, S. 60, Nr. 174.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Esslingen

Ortsindex:

Backnang Wohnplatz (1312)
 Backnang, WN
 Bebenhausen Wohnplatz (16199)
 Bebenhausen, Tübingen, TŪ
 Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)
 Esslingen am Neckar, ES
 Fellbach Wohnplatz (1340)
 Fellbach, WN
 Hegnach Wohnplatz (1622)
 Hegnach, Waiblingen, WN
 Markgröningen Wohnplatz (1046)
 Markgröningen, LB
 Neckargröningen Wohnplatz (1198)
 Neckargröningen, Remseck am Neckar, LB
 Oberesslingen Wohnplatz (341)
 Oberesslingen, Esslingen am Neckar, ES
 Obertürkheim Wohnplatz (40)
 Obertürkheim, Stuttgart, S
 Schwäbisch Hall Wohnplatz (3361)
 Schwäbisch Hall, SHA
 Weil Wohnplatz (351)
 Weil, Esslingen am Neckar, ES